JO. FRIEDER. CRAMERI
LIB. CIVITAT. IMPER. SVINFVRT.
ALIORVMQVE STATVVM DVM VIVERET CONSILIARII

DISSERTATIO
DE

CAVSIS CONSISTORIALIBVS,

AN, ET QVATENVS AD EXCELSISSIMVM JVDICIVM IMPERIALE AVLICVM SPECTENT?

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ob und wiefern der Reichs-Hof-Rath in geiſtlichen Sachen zu erkennen befugt ſey?

RECVSA

JENÆ LITTERIS BVCHIANIS. 1737.

Digitized by Google

DEO
ET
PROXIMO.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

ANnus nunc eſt tertius, ex quo Supremam Imperii Themidem Viennæ reſidentem adorare, & quotidiano cultu venerari mihi licuit. Pendente hoc temporis intervallo diverſimode & in utramque partem, an? & quatenus Jurisdictio Excelſiſſimæ Curiæ Imperialis in cauſis Eccleſiaſticis, Criminalibus & Politiam concernentibus fundata ſit? diſceptatum eſt. Neç enim deerant, qui actiones contra ſe inſtitutas, ſola exçeptione cauſæ non devolutæ, es wäre eine Kirchen-Geiſtliche Criminal-Policey-Sache, uno quaſi ictu deſtructas eſſe arbitrabantur, nullam in Vilipendium Auguſtiſſimi noſtri Tribunalis aut intelligentes, aut admittentes limitationem: Cum autem Aula Cæſarea mox Mandata, Reſcripta, plenariosque Appellationis proceſſus ſecundum humillime petita & narratorum qualitatem in hiſce cauſis decerneret, mox autem easdem tanquam non devolutas ad priores remitteret judices, rem ſatis intricatam variisque involutam nodis deprehendi. Animus ergo erat, quæſtiones dictas, Thematis Inauguralis loco, in quantum tenuis permiſſura fuerit Minerva, examinandi, easque natura

 ſua

ſua illuſtriſſimas, ac in foro non tam frequentes quam frequentiſſimas, theoretice & practice elaboratas, benignæ Eruditorum cenſuræ ſubmittendi: Cum autem nimia partim materiarum amplitudo, partim etiam Inſtituti ratio prohiberet, ne diſſertatio in Tractatus formam excreſceret, ſubſtiti hac quidem vice in cauſis Conſiſtorialibus eo lubentius, quo magis varios Imperii Status tam Viennæ, quam Ratisbonæ in Comitiis Imperii univerſalibus, in Jure Sacrorum turbatos, indies adhuc conquerentes audimus. Attamen poſt Homerum Iliada ſcribere actumve agere veritus, in delineando jure Principum Proteſtantium circa ſacra prolixus non fui, plura vero de eodem legere cupidi, Burgoldenſem *ad Inſtr. Pac. Weſtphal.* Dn. Stryck. *de Jure Papal. Principum Proteſtant.* & Dn. Henr. Linckii, Præceptoris quondam noſtri poſt funera colendi, *Opus Poſthumum, de Jure Epiſcopali &c.* adeant.

Cæterum quicquid de Excelſiſſimo Judicio Cæſareo Imperiali Aulico diximus, idem etiam de Auguſtiſſima Camera Imperiali intellectũ volumus: Addidimus etiam pauca quædam præjudicia, partim ut ſtylus modernus Excelſiſſimi Judicii Imperialis Aulici Tibi innoteſcat, partim etiam ut Theſes de fundanda jurisdictione agentes eo magis confirmentur. Vale.

IN-

Digitized by Google

INCIPIO SPARTAM, TE DUCE, CHRISTE, MEAM!

CAPUT I.

De Rubri noſtri definitione nominali & reali.

Exponitur in §. 1. 2. & 3. definitio nominalis h. e. Etymologia, Homonymia & Synonymia vocis Cauſæ. §. 4. Tradit eandem de vocabulo Conſiſtorialibus. ***§. 5. Tradit definitionem realem Cauſæ Conſiſtoriali. §. 6. Indicat varias Cauſarum Conſiſtorialium ſpecies.***

§. I.

Nominum inveſtigationem non plane omiſſuri, ſed potius Juſtinianum, Sacratiſſimum Imperatorem noſtrum, in conſpicio Digeſtorum, juri, inquientem, operam daturum, prius noſſe oportet, unde nomen juris deſcendat, *l. 1. ff. de J. & J.* imitaturi, pauca de rubro noſtro dicenda, brevemque Terminorum inibi poſitorum enodationem præmittendam duximus.

II.

Vox autem: *Cauſa*, eſt primitiva, a nullo alio deſcendens, (hinc ratione Etymi parum aut nihil notandum erit:) Æquivoca tamen; Hinc æquum, ad vitandam nominum rerumque Confuſionem, *l. f. C. de Legit. tut.* ambiguitatem & varios vocis hujus ſignificatus explicare, ut quid velimus dicere, pateſcat *Dd. in l. 3 ff. de reb. dub.* Cauſa autem (1) denotat die Urſach; (2) negotium, ſic eandem cauſam agere, CIC. *de Nat. Deor.* mit eben dem Geſchäfft umgehen; (3) occaſionem, arripere cauſam, CIC. TER. Gelegenheit nehmen; (4) Excuſationem; Si ſcius reperies, nullam cauſam dico, PLAUT. CIC. (5) denotat etiam Titulum dominii, debiti, poſſeſſionis per *l. 3. § 4 ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* (6) Pro conditione rei ſumitur in materia ſervitutum, ſic omnes ſervitutes prædiorum debent habere perpetuas cauſas, *l. 28 ff. de ſerv. Pr. urb.* (7) Aliter in Contractibus accipitur, ubi notat dationem vel factum

factum ſub lege mutuæ præſtationis, *l.* 7. §. 2. *ff. de pact.* LAUTERB. *Comp. d. t.* (8) Omnem rei utilitatem ſignificat; ita intelligenda clauſula libellis annecti ſolita: cum fructibus & omni cauſa, vid. *l.* 31. *ff. ſi cert. pet.* (9) Notat einen Rechts-Handel; Cauſa cadere, den Proceſſ verliehren, Cic. pro Muren. qui (*de invent.*) dicit: Cauſa eſt res, quæ habet in ſe controverſiam in dicendo poſitam, cum perſonarum certarum interventione, & JUSTIN. §. 33. *J. de Action.* Plures ſignificationes apud CALVIN. *in Lexic. Jur. voc. Cauſa.* occurrunt, & in hoc poſteriore ſignificatu nobis etiam venit.

III.

Synonymiam Vocabuli cauſæ ex jure noſtro hinc inde colligere poſſumus. Sic dicitur: actio *l.* 25. *l.* 37. *de O. & A.* Lis, *l.* 36. *de V. S. l.* 7. *& 8. pr. & §. 1. de inoff. Teſt.* Litigium *l.* 49. *de arb.* Controverſia *l.* 25. *§.* 7. *de her. pet.* Contentio *l.* 24. *de dol. mal.* Petitio, Jurgium *c.* 10. *de V. S.* Negotium *l.* 7. *C. de jur. & fact. ignor.* plures habent BLUM. *in Proc. Cam. Tit.* 25. *n.* 2. & CALVIN. *in* Lexic. *Jur. voc. Res controv.*

IV.

Vox *Conſiſtorialibus*, a Conſiſtendo dicitur, quemadmodum & Conſiſtorium, quod jure Romano Epiſcopalis Audientia, *tit. Cod. de Epiſc. Aud.* item Epiſcopale judicium, *ibid.* Locus, in quo judices conſiſtunt, BRISON. & CALV. *in Lex. voc. Conſiſt.* appellatur. In Anglia appellitatur Curia Chriſtianitatis, THOM. SMITH. *de Rep. Angl. L. II. c.* 11. In Helvetia, Chor- und Ehe-Gerichte. JOH. SIMLER. *de Rep. Helv. L.* 3. Synonyma ſunt, Cauſæ Eccleſiaſticæ, Spiritaules, Canonicales, Geiſtliche, Kirchen-Conſiſtorial Sachen.

V.

Offert ſe nunc Cauſæ Conſiſtorialis realis definitio, quam dicimus eſſe Controverſiam regulari ſua natura ad forum Eccleſiaſticum pertinentem.

VI.

Intelligimus ergo per cauſas Conſiſtoriales hic omnes illas controverſias, in quibus religio verti ſimul videtur, quæque ad cenſuram Eccleſiaſticam, ſive ex rerum & perſonarum natura, ſive ex facto, antiqua conſuetudine ac devotione, ſpectant, vid. MEV. *p.* 3. *Dec.* 257. *n.* 2. *& p.* 4. *Dec.* 137. *n.* 2. Dn. SCHWEDER. *Jur. publ. part. ſpec. Sect.* 2. *cap.* 12. *n.* 5. Omnes proinde cauſæ ex Jure Divino revelato & Eccleſiaſtico decidendæ, quævis item circa res & perſonas eccleſiaſticas,

qua

Digitized by Google

quâ tales ſunt, aut quatenus ſaltem moribus noſtris à Jurisdictione Civili eximuntur, ortæ controverſiæ, regulariter ad judicium Eccleſiaſticum pertinent, & nobis ſub cauſis Conſiſtorialibus intelligendæ veniunt vid. Dn. SCHILT *in Jur. Can. l. 1 t. 5 § 6 Nov. 83. Nov. 123.* vel ut eleganter, ſicuti omnia exprimit *Illuſtris* Dn. à SECKENDORFF. Wir verſtehen unter dem Namen geiſtlicher Sachen, fürnemlich die Religion und Glaubens-Bekäntniß ſelbſt, ſo dann deroſelben anhängige Kirchen-Gebräuche, Ordnungen und Ceremonien nachfolgig auch die äuſſerliche Zucht und Lebens-Art, nach Anleitung der Religion und Glaubens-Lehre. Hirzu werden auch ferner um der nahen Verwandtniß willen andere mehr gezogen, als da ſind: alle Sachen, welche die äuſſerliche Mittel zu Unterhaltung der Kirchen und ihrer Diener betreffen, die Erkäntniß in Ehe-Sachen, die Unterweiſung der Jugend, in hohen und niedern Schulen, die Unterhaltung der Armen, in Hoſpitalen und anders mehr, ꝛc. *im teutſchen Fürſten-Staat, part. II. cap. II. num. 2.*

CAPUT. II.

An Cauſæ Conſiſtoriales ad Judicium Cæſareo-Imperiale Aulicum ſpectent?

Tractatur quaſtio An? Ubi in §. 1. Exponitur phraſis, ſpectare ad Jud. Imp. Aul. §. 2. Docet, ante omnia juriſdictionem in ſupremis Imperii curiis fundandam eſſe §. 3. Quaſtionem propoſitam negative decidit. Quod probatur (1) ex Jure Canon. §. 4. Agit de obſervantia Juris Canonici. §. 5. Negativa probatur (2) ex Pace Religioſa & (3) Inſtrum. Pac. Weſtphal quod in §. 6. 7. & 8. ampliatur. § 9. Agit de diverſa Principum Evangelicorum & Catholicorum conditione ratione juris circa ſacra. §. 10 De exercitio hujus juris agit. § 11. Negativam defendit (4) ex Capitulat. Cæſar. §. 12. Concludit Proteſtantes habere ſupremaum in Cauſis Conſiſtorialibus. §. 13. Tradit ſeptem limitationes.

§. I.

BRevi in capite antecedente præmiſſa terminologia, ad primam rubri noſtri quæſtionem: *An ſc. cauſæ Conſiſtoriales ad judicium Cæſ. Imp. Aulicum ſpectent?* devolvimur. Ubi ante o- Quæſtio.

mnia

mnia monendum, nobis τὸ ſpectare idem eſſe, ac pertinere, German. Ob Kirchen- und Conſiſtorial-Sachen an Kayſerl. R. H. Rath gehören. Idem ergo erit, ſi dicas: an cauſæ Conſiſtoriales ad Jud. Imp. Aul. ſpectent, ac ſi quæras: Num in cauſis Conſiſtorialibus juriſdictio Judicii Imp. Aulici ſit fundata, ſive, an Judicio Imp. Aulico competat cognitio & deciſio ſuper cauſa Conſiſtoriali: ſeu, an Conſilium Imp. Aul. ſit forum competens in cauſis Conſiſtorialibus, vel, an Senatus Imperii Aulicus habeat eam juriſdictionis ſpeciem, ad quam Cauſa Conſiſtorialis controverſa pertinet?

II.

Neque ſicco hic prætereundum pede, unumquemque, acturum in hoc Excelſiſſimo judicio, primariam curam fori competentis & juriſdictionis fundandæ habere, eamque in primo ſuo Exhibito ſtatim docere debere. Nam in conflictu forenſi primo judicis perſonam oportet conſtitui, neque reus cogitur coram quovis judice reſpondere, ſed tantum coram judice competente, *tot. tit. X. de for. comp. Deſſel. in Erot. jur. Can. lib. 2. tit. 2. l. 2. 5. C. de juriſd. & l. fin. C. ubi in rem act.* Hinc, ſi notoria & aperta eſt incompetentia, actor inſtantia cadet, & in Expenſas condemnabitur; Si vero dubia, concluſum emanabit: wird Supplicant die Jurisdiction beſſer fundiren, ſo erfolget ferner Beſcheid; vid. *Deſcript. Proceſſ. Jud. Imp. Aul. MScriptam p. m. 3.* BLUM. *in Proc. Cam.*

III.

Negat. (1) Prob. ex Jur. Canon.

Ad quæſtionem vero ſupra propoſitam reſpondendo, NEGATIVAM, ceu veriorem, defendentes, cauſas Conſiſtoriales Cognitioni Senatus Imperii Aulici obnoxias regulariter haut eſſe, aſſerimus; Natura enim cauſæ Eccleſiaſticæ non permittit, ut Judex ſecularis vel Laicus. MENOCH. *Remed. 15. n. 120.* THILEMANN. *de Benig obſerv. Cam. Imp. Pent. 1. obſ. 36. num. 1.* licet ſit ipſe Imperator, SCHÜTZ *jur. publ. lib. 3. tit. 4. poſit. 2. n. 1.* BLUM. *Proc. Cam. tit. 29. num. 86.* ſed tantum concedit, ut judex Eccleſiaſticus, ſive Epiſcopus in ea judicet, *per cap. 1. 2. & 12. X. de for. compet. cap. 2.* CLEMENT. *de judic.* MEV. *p. 1. dec. 365. n. 6.* Dn. TEXTOR *in Prax. Judic. p. 2. c 6. n. 39.* Quod in tantum extendunt Canoniſtæ, ut ſi dubium oriatur inter judicem Eccleſiaſticum & Laicum, quis competens ſit? ſolus Eccleſiaſticus de hac competentia, & an cauſa ſit Eccleſiaſtica cognoſcere debeat, *cap. 12. de Sent. Excomm. in 6to* Fel. de OLIVA *de for. Eccl. p. 1, q. 26. n. 21.*

IV. Li-

Digitized by Google

IV.

Licet autem Jus Canonicum in terris Proteſtantium alio, ac in terris Catholicorum, obſervetur modo, hique eo, tanquam jure a Summo Pontifice profecto, illi vero, jure proprio, & in vim conſuetudinis recepto, non aliter, atque Athenienſium jura a Romanis in Rempublicam Romanam fuerunt introducta, utantur, & Jus hoc toties habeatur apud Proteſtantes eſſe rejectum, quoties non probatur eſſe receptum, Dn. STRYCK *in uſ. mod. Pand. Tit. ut & in diff. jur. Civ. & Can* §. 3. Id ipſum tamen in rebus ſpiritualibus, Canonicalibus & præbendariis, quatenus æquitati naturali, juri divino, & Ordinationibus Eccleſiaſticis non repugnat, apud Proteſtantes recte obſervari, teſtantur KLEINSCHMID. *præcogn. jur. tr. 4. ſect. 7. n. 58. 59. 60.* STRYCK. ad BRUNNEM. *Jus Eccl. l. 2. c. 10. §. 7.* GAIL. *l. 2. obſ. 141. n. 5.* MYNSING. *4. obſ. 6.* REINKING. *de R. S. & E. L. 2. Cl. 2. c. 7. n. 3. Illuſtris* Dn. HENR. GÜNT. THULEMAR. *Patroni noſtri omni honoris cultu proſequendi Reſponſ. juris a tribus Facultatibus jurid. tribus in Imperio receptis religionibus addictis confirmatum, nunc typis impreſſum, de hac quæſtione: an in cauſis Canonicalibus & præbendariis ad Jud. Imp. Aul. poſſit appellari? num.* 1. 2. 3. *& ſeqq.*

V.

Prob. (2) ex Pac. Relig.

Negativam noſtram etiam Legibus & pragmaticis Imperii Sanctionibus congruere, probatur ex Pacis Religioſæ tranſactione, (cœpta Svinfurthi & Noribergæ 1532. SLEID. *lib. 8.* BURGOLD. vero nomine OLDENBURGER, *ad Inſtr. Pac. Weſtphal. part. 2. diſc. 17. n. 4.*) Paſſavii Anno 1552. repetita, & Anno 1555. in Comitiis Auguſtanis his verbis confirmata: Es ſollen Kayſerl. Majeſtät, Wir, auch Churfürſten, Fürſten u. Stände des H. Reichs Teutſcher Nation, keinen Stand des Reichs von wegen der Augſpurgiſchen Confeſſion, und derſelbigen Lehr, Religion und Glaubens halben, mit der That gewaltiger Weiß überziehen, beſchädigen, vergewaltigen, oder in andere Wege wider ſeine Conſcienz, Wiſſen und Willen von dieſer Augſpurgiſchen Confeſſions-Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, ſo ſie aufgericht, oder nachmals aufrichten möchten, in ihren Fürſtenthumen, Landen und Herrſchaften dringen, oder durch Mandat, oder in einiger anderer Geſtalt beſchweren oder verachten, ſondern bey ſolcher Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, auch ihren Haab, Gütern, liegend und fahrend,

Land, Leuten, Herrſchafften, Obrigkeiten, Herrlichkeiten und Gerechtigkeiten ruhiglich und freundlich bleiben laſſen, und ſoll die ſtrittige Religion nicht anderſt, dann durch Chriſtliche, freundliche, friedliche Mittel und Wege zu einhelligen Chriſtlichen Verſtand und Vergleichung gebracht werden, alles bey Kayſerl. und Königl. Würden, Fürſtl. Ehren, wahren Worten und Pön des Landfriedens, *Rec. Imp.* 1555. §. Und damit ꝛc. Nec non ex Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ de An. 1648. *art. V.* §. *48.* verbis: *Jus Diœceſanum & tota Jurisdictio Eccleſiaſtica, cum omnibus ſuis ſpeciebus, contra A. C. Electores, Principes, Status, (comprehenſa libera Imperii Nobilitate,) eorumque ſubditos, tam inter Catholicos, & A. C. addictos, quam inter ipſos ſolos A. C. Status, usque ad Compoſitionem Chriſtianam diſſidii Religionis ſuſpenſa eſto, & inter Terminos Territorii cujusq; jus diœceſanum & Jurisdictio Eccleſiaſtica ſe contineat.*

Prob. (3) ex J. P. W.

VI.

Ex quibus duobus locis, fundamenti loco allegatis, luce meridiana clarius pateſcit, omnem jurisdictionem Epiſcoporum aut Pontificis Romani, in terris Proteſtantium eſſe ſuſpenſam, nec Papæ, nec Epiſcopo, nec Cæſari, nec ulli judicio, Cæſarem repræſentanti, cognitionem de cauſis Eccleſiaſticis & Conſiſtorialibus relictam, ſed unicam atque ſupremam cognoſcendi in Eccleſiaſticis facultatem, & omnia, quæ a jurisdictione Eccleſiaſtica dependent & juris ſunt diœceſani, in Status Evangelicos eſſe translata, vid. Dn. RHET. *jur. publ. lib. 1. tit. 16. num. 8.* Et cum Proceres Imperii jure quodam ſingulari provincias ſuas regant, ſecundum plurima Majeſtatis jura, hinc & jus circa ſacra ipſis, tanquam pars Majeſtatis, jure territorialis ſuperioritatis competit, & jurisdictio Eccleſiaſtica cum ſuperioritate hac territoriali, independenter ac nexu plane indiſſolubili, cæteris paribus, conjuncta eſt, Dn. LYNCKER. §. 3. *diſſert. de ſuperior. ſacr.* SCHILT. *jur. publ. l. 1. tit. 24. §. 4* Dn. STRUV. *de feud. cap. 6 aph.* 17. KLOCK. *vol. 3. conſil.* 146 *n.* 18. COCCEJ. *jur. publ. c. 18. n. 38. & c. 22. n. 15.* BURGOLD. *ad Inſtr. Pac. p. 2. d. 17 n. 4.* Dn. SCHWEDER. *part. ſpec. jur. publ. ſect. 2. t. 12. n. 1. & ſeqq.* Et jus Epiſcopale, una cum Eccleſiaſticorum actuum cognitione, penes territorii Dominum reſidet, tanquam penes fiduciarium poſſeſſorem, usque ad Chriſtianam & amicabilem Religionis compoſitionem, MYLER. *de Stat. Imper. cap. 86. num. 2.* GYLMANN. 3. *Symph. verb.* Religion-Fried, SYRING. *de Pac. Relig. lib. 3. cap. 20.* Dn. LINCK. *de Jur. Epiſc. c. 1. n. 61.*

VII. Ve-

Digitized by Google

VII.

Veriſſimum ergo nunc tritum illud: Cujus eſt Regio, illius etiam eſt Religio: quod tamen cum SCHWED. *all. c.* 12. & FRITSCH. *in annot. ad Inſtr. Pac. art. V. §.* 12. non ita crude & abſolute, ſed juxta determinationem Pacificationis Religioſæ, & cumprimis Inſtrum. Pac. Osnabrugenſis accipiendum erit; id quod *Illuſtris* SECKENDORFF. *p* 2. *c.* 11. *num* 5. im teutſchen Fürſten-Staat, ita explicat: Durch den Weſtphäliſchen Frieden-Schluß iſt der hohen Obrigkeit dieſes Ziel geſtecket, daß ſie gleichwol nicht, wie ſie ſonſt auf ihre Verantwortung durch Obrigkeitliche Gewalt thun könte, die Unterthanen, welche ein andere Glaubens-Bekäntniß haben, als dasjenige, welchem der Landes-Herr zugethan iſt, und er in ſeinem Lande verordnet hat, darum bloß hin verjagen, und an Leib, Ehr und Guth ſtraffen dörften, ſondern dieſelbe Maas und Ziel dulten, oder auch, wann ſie nach Ausweiſung des Frieden-Schluſſes, im Jahr 1624. eine andere Religion in öffentlicher oder andern gewiſſen Ubung gehabt, ſie darbey allerdings bleiben laſſen ſollen. Obſervata itaque regula anni decretorii 1624. & in Ducatibus Simmern & Lautern atque Palatinatu Electorali anni 1618. (vid. Inſtr. Pacis Osnabr. *artic.* 4 *§. deinde* 6. *&* *§. Princeps Ludovicus Philippus.* 20.) nec non attentis pactis cum ſubditis deſuper initis, quæ omnino etiam illibata ſervari debent, vid Dn. STRYCK. *de jur. pap. Princ. Evang. c.* 2 *§.* 10 *& Inſtrum. Pac. §. pacta autem &c* 33 *art.* 5. *& §.* 1. *art.* 7 gaudebunt Principes A. C. plenitudine poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ conſiſtit in jure Reformandi & jurisdictionis Eccleſiaſticæ exercitio, MYLER. *d. tr. c.* 86. *n.* 2.

VIII.

Cur autem Jus Sacrorum, Superioritatis territorialis pars ſit, & inhæreat territorio, ſicut nebula paludi, ROSACORB. *prax. for cap.* 29. *n. f.* MAGER *de advocat. arm. c.* 16. *n* 596. REINKING. 3 *Cl.* 1. *cap* 9. *n.* 3. MYLER *d. tr. c.* 83. *n.* 2. & cur Jus Diœceſanum, *in Inſtrum.* Pac. *Weſtphal. §. ſupra relato* 48. intra terminos territorii cujusque Status Proteſtantis ſe continere dicatur, hæc fere videtur eſſe ratio; quia quod in profanis eſt territorium, id in Eccleſiaſticis rebus diœceſis nomine venit, *can.* 10. *cauſ.* 16 *q.* 7 *can.* 17. *cauſ.* 18. *q.* 2. KLOCK *de contribut. c.* 10. *n.* 92. Dn. ZIEGLER. ad LANCELLOTT. *lib.* 1. *tit.* 27. §. 21. STRYCK. *d. diſſert. c.* 2. §. 4. Immo ex neceſſitate quadam contigiſſe monet Dn. THULEMAR. *in alleg. reſp. n.* 20. ut jurisdictio Eccleſiaſtica apud Status

Evangelicos territorio adhæreat; Dum enim vigore *d.* §. **Damit auch.** *20. Pac. Relig. de Anno* 1555. Jurisdictio Epiſcoporum Eccleſiaſtica, in Statuum Proteſtantium terris ſuſpenſa fuit, ea autem tanquam accidens ſine ſubjecto eſſe non potuit, nec Evangelicis Electoribus, Principibus ac Statibus, tanquam perſonis ſæcularibus (ex mente Catholicorum) competere valuit; neceſſario ad ipſa jura territorialia referri debuit, ut nempe a Statibus Evangelicis impoſterum, quantum directionem attinet, regulariter per Conſiſtoria adminiſtretur.

IX.

Quo plus autem juris Sacrorum Evangelicis in allegatis Conſtitt. Imperii conceſſum, eo minus Romano Catholicis reliquum eſt, cum fere omne jurium Epiſcopalium Exercitium in manus Summi Pontificis & Epiſcoporum reſignaverint, & in Concordatis Nationis Germanicæ inter Nicolaum V. Pontificem & Imperatorem Fridericum III. initis, omnem de ſpiritualibus cognitionem Pontifici & Epiſcopis conceſſerint; vid *Per Illuſtr.* Dn ab ANDLER. *in Juriſpr. L.* 1. *tit.* 5. *p.* 8. *n.* 17. *& ſeqq. Capit. Caſ. art.* 19 Patet ergo famoſum hunc Inſtrumenti Pacis Paragraphum, rebus Proteſtantium ſplendidiſſimum addidiſſe carbunculum, quod hiſce ſacrorum juribus reliquos Imperii Conſtatus Catholicos & ipſum Imperatorem quaſi ſuperent atque præcellant. BURGOLD. *ad J. P. p.* 2 *diſc.* 17. *n.* 5 In hoc tamen pari frui videntur jure, quod neutrius Status (ſive nempe ſit Catholicus, ſive Proteſtantium ſacris addictus,) cauſæ Eccleſiaſticæ, cognitioni ſupremorum Imperii Tribunalium ſint obnoxiæ. Hinc eſt, quod Imperatoris forum Evangelici Status in cauſis, in quibus Catholici illud ex capite ſpiritualitatis non agnoſcunt, jure merito declinent. HELVIC. SCHÜTZ. *dict. poſit.* 2. *n.* 1 LINCK. *alleg. tract. cap. ult. n.* 6. Evangelici enim Status non poſſunt nec debent hac in re deterioris conditionis eſſe, quam Catholici, quia inter utroſque æqualitas exacta mutuaque deprehenditur, ita, ut quod uni juſtum, alteri quoque juſtum debeat cenſeri: uti dicitur *in fin.* §. 1. *artic.* 5. *Inſtrum. Pac. Weſtphal.* add. Capitul. *Leopold. artic.* 1. *in fin.* Dn. THULEM. *in cit. Reſp. num.* 21.

X.

Quemadmodum autem qualibet poteſtas conjuncta eſt cum officio ſuo, vid. PUFFEND. *de Offic. hom. & civ. l.* 2. Dn. THOMAS. *Juriſpr. Divin. l.* 3. ita & poteſtas, circa ſacra Principibus competens Proteſtan-

ſtantibus, officium ſuum recipit, partim ſecundum præcepta juris Divini revelati, prout id Princeps credit, partim ſecundum præcepta juris Naturalis, & quidem de ſervanda fide: Princeps enim, jus circa Sacra recipiendo, fidem dediſſe cenſetur, de religione & cauſis Eccleſiaſticis bene regendis & curandis. Cura autem talis apud Evangelicos injuncta eſt judicio Eccleſiaſtico, dem Kirchen-Rath, Conſiſtorio (de quorum differentia vid. SCHWED. *c. l. n.* 4) & Superintendentibus, quorum munera vid. latius apud Seckendorff *all. c. n.* 6. WEBER. *de Conſiſt.* CARPZOV. *Juriſpr. Eccl. &c.*

XI.

Paci Religioſæ atque Inſtrumento Pac. Weſtphalicæ jungimus etiam Auguſtiſſimi LEOPOLDI Imperatoris & Sereniſſimi Regis JOSEPHI Capitulationes, Art. 1. & 19 in verbis: Doch ſo viel dieſen Articul betrift, unſern lieben Oheim und Churfürſten zu Sachſen und Brandenburg und ihren Religions-Verwandten, dem Religion- und Prophan Frieden, auch dem jungſthin zu Münſter und Oßnabrück aufgerichteten Frieden-Schluß, und was dem anhängig unabbrüchig, auch ohne Conſequenz, Nachtheil und Schaden, *Art. all.* 19. Ex ſolenni enim hac Evangelicorum Electorum facta ſtipulatione, qua ſibi cavent, ne, quæ ibi Papæ Romano aſſeruntur, ſuæ Religioni & juri jam quæſito præjudicent, ſequitur, quod ſibi & aliis Evangelicis Conſtatibus omne jus circa ſacra reſervaverint illibatum, Dn. THULEM. *in d. Reſp. n.* 14. Prob. (4) ex Capit. Cæſ.

XII.

Patet ergo ex hactenus deductis, omni jurisdictione Eccleſiaſtica adverſus Proteſtantes ſuſpenſa, eos hodie, vi Pacis Religioſæ, Autonomiam atque abſolutam fere circa ſacra poteſtatem exercere, & in Controverſiis Conſiſtorialibus ſummum ſibi ſumere arbitrium, BURGOLD. *ad Inſtr. Pac. part. 2. diſc. 20. n.* 14. adeo, ut circa res Eccleſiaſticas neminem ſuperiorem in mundo recognoſcant, ſed ſuprematum (la ſouveraineté) obtineant, uti teſte THULEMARIO *dict. Reſp. n.* 11. d. 4. (14.) Jan. 1697. reſpondit ampliſſima Facultas Juridica Moguntina, conſentiuntque REINKING. *de R. S. & E. l.* 3. *diſſ.* 1. *c.* 10. *n.* 51. Dn. STRYCK. *de Jur. Pap. Princ. Evang. in proœm. & c.* 2. §. 2. BRUNNEM. *E. r. jur. Eccl. c.* 2. *n.* 9. Illuſtriſſ. Comes de WURMBRAND. *de for. Germ. Princ. cap.* 2. *cl.* 2. §. 2. Dn. HENR. LINCK. *de for. Proteſt. immed. in cauſ. matrim. ſect.* 1. *n.* 41. *ſeqq.* Sano proinde ſenſu in ſuis territoriis Papæ, Päbſte in

ihren Landen, appellari poſſunt, RHET. *de jur. ſtat. circa ſacr. cap.* 5. *n.* 18 STRYCK. *d. c.* 2. *§.* 10. ZECH. Europäiſcher Herold *p.* 534. FELTM. *de titul. hon lib.* 1. *c* 66. *n.* 12. *& lib* 2. *c.* 29. *n* 14. THVLEMAR *dict Reſp. n.* 15 licet non Vicariatum Divinum ſibi arrogent, aut omne Imperium Civile reſpuant.

XIII.

Hæc cum ita ſe habeant, ſua ſponte ſequatur neceſſe eſt, Cauſas Conſiſtoriales Proteſtantium, ad judicium Imperiale Aulicum devolvi non poſſe, nec ullam ſuper easdem Excelſiſſimo huic Dicaſterio competere cognitionem. Quæ tamen negativa, ut procedat, & ut exceptiones regulam confirment, ſalvo hactenus laudato jure Sacrorum, limitanda eſt, (1) niſi lis ſit de poſſeſſione vel quaſi, (2) quæſtio conſiſtat in facto, (3) controverſia ſit inter duos immediatos, (4) cauſa ipſa non ſit conſiſtorialis, ſed ex conſiſtoriali fluens, (5) ex cauſa Conſiſtoriali periculum ſeditionis immineat, (6) bonorum Eccleſiaſticorum immedietas periclitetur, (7) cauſa Conſiſtorialis per modum querelæ nullitatis in judicium deducatur, & (8) ſi ob protractam vel denegatam juſtitiam promotoriales petantur. De quibus ſingulis ſeorſim capite ſequente diſſeremus.

CAPVT III.

Quatenus cauſæ Conſiſtoriales ad Excelſiſſimum Judicium Cæſareo Imperiale Aulicum ſpectent?

§. 1. Tradit (1) Limitationem, quæ § 2. 3. & 4. Præjudiciis confirmatur. §. 5. Continet (2) Limitationem, § 6. 7 Tertiam, § 8. 9. 10. 11. & 12. Domini Textoris ſententia impugnatur §. 13 Limitationem quartam & quintam, §. 14. & 15. Sextam, §. 16. Septimam tradit, quæ ampliatur in §. 17. §. 18. Quæritur: an cauſa Conſiſtorialis inter alia gravamina, per modum acceſſorii, in Jud. Imper. Aul. ventilari queat? §. 19 Docet, Imperatoris juriſdictionem ceſſare in omnibus Cauſis Conſiſtorialibus. §. 20 Monſtrat, ad quem authentica Inſtr. Pacis Interpretatio pertineat. §. 21. Continet Epilogum.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

SVpremati, qui in Conſiſtorialibus Proteſtantibus Imperii Ordinibus competit, huc usque tam Legibus Imperii publicis, quam harmonico Interpretum earum calculo ſatis confirmato, potiores nunc limitationes in medium proferre, & quatenus cauſæ Conſiſtoriales ad Judicium Cæſareo Imperiale Aulicum ſpectent, brevibus exponere animus eſt:

Aſſerimus ergo, Judicio Cæſareo Imp. Aulico cognitionem & deciſionem de cauſa ſpirituali competere: *Si (1) de poſſeſſione vel quaſi agatur*; Cum enim poſſeſſio plurimum facti habeat, *l. 19. ff. ex quib. cauſ. maj. l. 1. §. 15 ff. ſi is, qui teſtam. lib eſſe juſſ.* judiciumque poſſeſſorium neque qualitatem, neque quantitatem rei ſpiritualis concernat, & quæſtio de poſſeſſione rei ſpiritualis, uti exprimit Gloſſ. *in cap. 12. ✠. de jurament. Calum.* temporalis & facti, hincque mere profana ſit, in hiſce caſibus tam ratione primæ, quam ſecundæ Inſtantiæ fundata erit jurisdictio Judicii hujus, SCHWEDER. *in Jur. publ. part. ſpec. Sect. 1. cap. 12. num. 8.* BLVM. *Proc. Cam. Tit. 43. n. 20.* KLOCK. *vol. 1. conſil. 20. n. 363.* Limit. I.

II.

Hancque theſin præjudiciis firmare noviſſimis, res non facilis, ſed facillimi erit negotii; multa enim de adhuc pendentibus proceſſibus adduci poſſent præjudicia, nobis tamen ſufficiant tres ſequentes caſus, ex quibus colligendum erit, hodie absque ulla difficultate & Mandata & Reſcripta, nec non Appellationis proceſſus dicto caſu decerni ſolere.

In cauſa Z. contra K. 19. Maji 1690. Mandatum S. C. decretum eſt; Cum enim Dominus de K. Eccleſiam filialem zu N. a matrice Eccleſia zu W. ſeparare conaretur, Dominus a Z. vero in judicio Cæſareo-Imp. Aulico ſufficienter probaret, (1) ſe & ſuos Anteceſſores Caſtri W. habuiſſe & exercuiſſe Jus Patronatus & Collaturæ in Eccleſia in N. ad S. Catharinam, (2) hanc Eccleſiam ab immemoriali temporis decurſu, tanquam filialem, ad Eccleſiam W. pertinuiſſe, paſtoremque in W. in N. ceu in loco quæſtionis, omnes actus Parochiales, baptizando, ſepulturas admittendo, copulando &c. in filiali qualitate ſuſcepiſſe; hinc ſe eſſe in poſſeſſione vel quaſi, factumq; Dn. K. turbativum tam obſervantiæ hactenus continuatæ, quam ſaluberrimis Imperii Conſtitutionibus contrariari; ideo Auguſtiſſimum etiam noſtrum Impe-

Digitized by Google

Imperii Tribunal Mandatum S. C. uti dictum, decernere non dubitavit, vid. *Extr. Prot. ſub lit. A.*

A.

Veneris 19. Maji 1690.

Von L. contra K. in puncto Mandati, das zu dem Ritter-Guth W. gehörige Filial N. betreffend. ꝛc.

Decernitur petitum mandatum inhibitorium, & de non via facti, ſed juris procedendo ſine, reſtitutorium vero cum clauſula.

III.

In cauſa Würtzburg contra Rotenhahn, das Jus Epiſcopale zu Salmsdorff betreffend, ad Dominum de Rotenhahn ſimiliter reſcriptum eſt. Cum enim Celſiſſimus Dn. Epiſcopus Herbipolenſis, ex actibus Viſitationis, teſtimoniis Viſitatorum, nec non ex rationibus ærarii ſacri præfectorum ſufficienter ſatisque probaret: Daß die Kirche zu Salmsdorff, als eine Filia von Eltmanniſchen Geiſtlichen in- ante & poſt annum decretorium 1624. verſehen worden ſeye, Dominus a Rotenhahn vero, tanquam Territorialis zu Salmsdorff, Jus Epiſcopale ibidem, ceu acceſſorium, prætenderet, actusque poſſeſſorios contrariis Inſtrumentis atque Documentis probare intenderet; noſtrum tamen Auguſtiſſimum Judicium die 22. Jun. 1691. 29. Jul. 1692. & 18. Jul. 1696. ad Dn. de Rotenhahn reſcripta decrevit; noviſſime etiam ex parte Herbipolenſi pro Paritoria prioribus reſcriptis conformi clementiſſime decernenda, imploratum eſt.

IV.

Plenarios Appellationis Proceſſus intellexi noviſſime decretos eſſe in cauſa Probſts zu Cappenberg, Stephan Dieterich von Nagel, contra die Reformirte Prediger zu Cahmen; Cum enim Præpoſitus Capenbergenſis (1) Vicariam S. Stephani in Cahmen, a Capenbergenſi quodam Præpoſito Anno 1519. fundatam, (2) Clerum Capenbergenſem per continuam annorum ſeriem beneficio Eccleſiaſtico quæſtionis gaviſum, nec non in, ante & poſt annum 1624. in illius poſſeſſione vel quaſi fuiſſe, Judicium vero provinciale, quod Cliviæ eſt, per ſententiam ordinaſſe, daß dieſe Vicarie einen von denen beyden Evangeliſchen Predigern zu Cahmen binnen 14. Tagen conferirt werden ſolte: & ab hac ſententia (3) legaliter ſeſe appellaſſe probaret; hæcq; provocatio tam ratione qualitatis, quam quantitatis, nulli privilegio de non appellando con-

contrariaretur, per ſequentem Extractum Protocolli Appellationis Proceſſus decreti ſunt:

Veneris 15. Junii 1698.

Probſt zu Cappenberg Stephan Dieterich von Nagel, contra die alſo genandte Evangeliſche Reformirte Prediger zu Cahmen, die Vicarie zu St. Stephan daſelbſt betreffend, in puncto Appellationis, ſive Appellantiſcher Anwalt Jobſt Heinrich Koch Edler von Edersleben de rato & mandato cavens, ſub præſ. 16. Maji e ponit, was geſtalten ſeine Principalen von einem den 26. Sept. nup. durch die Churfürſtl. Brandenburgiſche zu denen Clevischen und Märckiſchen Landen angeordnete Regierungs-Räthe ertheilten, den 30 Jan. darauf aber erſt ad notitiam gekommenen Beſcheiden, den 8. Febr. jüngſthin an Ihr Kayſerl. Majeſtät appellirt haben, mit gehorſamer Bitt, pro clementiſſime decernendis appellationis proceſſibus, cum prorogatione fatalium ad duos menſes, appon lit. A. B. C. & Libell gravam. ſub Num. 1. cum adjunctis Lit. D. E. F. & G. in duplo.

Decernuntur plenarii proceſſus appellationum, cum prorogatione fatalium ad duos menſes.

Frantz Wilderich von Menſchengen.

V.

Cum quæſtionibus de nuda poſſeſſione vel quaſi, affinitatem haud mediocrem habent, quæſtiones aliæ, concernentes res per ſe ſpirituales, quatenus in facto conſiſtunt. *Quoties itaque quæſtiones ſuper cauſis ſpiritualibus exortæ conſiſtunt in facto, toties almi noſtri judicii Juriſdictionem fundatam eſſe contendimus*, ex eadem quæ jam in §. I. allata eſt, ratione, quia nempe quæſtio facti eſt mere profana, cauſas vero profanas ſummis Imperii Dicaſteriis ſubjici, poſt *Ord. Cam. tit. 37. n. 5.* expreſſis etiam verbis *Ordinatio Jud. Imp. Aul. Ferd. III. Tit. 2. §. 1.* confirmat: ibi: In unſerm Reichs-Hof-Rath ſollen alle und jede Partheyen Sachen die Rechts-Gewohnheit, Connexität und Conſequentz halber, für unſer Kayſerl. Gericht gehören, oder von den erſten Inſtantien durch Mittel der Appellationen Supplicationen, Dictionis Nullitatis, Implorationis Officii, oder in andere alle Wege ſich dahin wenden, fundirt u. gehörig ſeyn, die ſollen allda angenom- Limit. II.

men,

men, gerechtfertiget, darüber erkennet und die Nothdurft ausgefertiget werden 2c. Ita ignotum non eſt, cauſam decimarum eſſe ſpiritualem, aut Eccleſiaſticam & Conſiſtorialem, vid. GAIL. *l. obſ. 38. n.* 1. MONET. *de decim. cap. 8. n.* 1. KLOCK. *vol.* 1. *conſ. 41. n.* 1. *ſeq.* MYNSING. *obſerv. 10. n.* 10. *cent. 5.* CARPZ. *in Juriſpr. Eccl. lib. 1. def.* 131. atque regulariter, quando quæritur de jure decimarum, a juriſdictione Judicii Cæſareo-Imper. Aulici, nec non Cameræ Imper. exceptam, SCHWED. *part. ſpec. ſect.* 1. *cap.* 13 *n.* 11. Nec latet, Jus exigendi decimas habere Clericos illius Eccleſiæ, ad quam iſtud jus decimandi pertinet; unde & interdum heterodoxis propter Communionem civilem, & Obſervantiam a tempore hominum memoriam excedente continuatam, ſolvendæ ſunt, SCHILTER. *in Inſtit. Jur. Can. lib. 2. Tit. 8. §. 16. & Pac. Relig. §.* Dagegen ſollen 2c. Quod ſi autem quæreretur, an quis decimas ſolverit, nec ne, & quæſtio talis de ſolutione decimarum, ceu in mero conſiſtens facto, (de probatione ſolutionis vid. *l. f. C. de ſolut. l. 2. l. 22. ff. de probat.* probatio enim talis fit, vel per apocham *l.* 14. *C. de ſol.* vel per teſtes duos, SANDE I. *deciſ. Friſ. tit. 10. def.* 1. GROENWEGEN *de* LL. *abrog. ad l. 18. C. de Teſtib.* addatur de probatione ſolutionis per Conjecturas, CARPZ. *in Juriſpr. forenſ. part. 2. conſil. 29. def.* 12. MONACH. *deciſ. Flor.* 2. SVRD. *deciſ* 105.) ad Judicium Cæſareo-Imperiale Aulicum devolveretur; quin tum illud cœteris paribus forum competens ſit, ulla abſque hæſitatione affirmamus cum GAIL. *d. obſ. n. 2.* & BLVM. *in Proc. Cam. tit. 43. n. 22. &c.*

VI.

